

SECUNDA PARS DE DISTANTIIS IN



Rotrahentur duæ lineæ satis longe in quodam plano, quæ se ad rectum angulum ad modum gnomonis contingant. Iste enim contactus illarum duarum linearum erit initium numerorum, & centrum instrumenti, noteturq; litera A. Deinde protrahe cuilibet lineæ tres parallelos ab extra, primam & proximam cuiq; prius productæ ad semidistantiam calami pro minutis, secundam pro inscriptione numerorum minutorum de 10. in 10. uel de 20. in 20. ad placitum, tertiam lineam pro numero graduum gnomonis, fiant autem gradus ad placitum, maiores tamen ita ut in singula minuta diuidi ualeant, uel quod una diuisio uel particula contineat duo minuta uel 4. minus, etiā numerus graduum illarum linearum gnomonis fiet ad placitum 20. graduum uel 12. uel 15. In nostro autem instrumento, hic apposito fecimus distinctionem graduum uel gnomonis per 12. gradus æquales, quorū numerus ab A. centro instrumenti inchoatur. Ad latus etiam gnomonis sinistrum fac scalam pro miliaribus tam germanicis quam Ptholemaicis p quolibet gradu gnomonis ponendo 15. miliaria germanica 60. uero italica siue ptholemaica. Ea etiam ratione ponuntur in hoc nostro instrumento apud 12. gradum gnomonis 180. germanica. 720. Italica. Iстis sic rite iuste diuisis, dimitte spaciū ad latitudinem unius digiti sub qualibet linea minutū gnomonis. Deinde pone pedem unum circini in A. punctū, reliquum ad finem ultimi gradus gnomonis, & describe circulum, sed longitudinem laterum gnomonis. Demū pone notam B. ad latus sinistrum gnomonis. C. uero notam ad dextrum gnomonis. Intelligo autem latus sinistrum ab A. in B descendendo ad usq; circulum iam productum. Dextrum uero ab A nota in C notam in uertice instrumenti. Circulus autē iste sic ex centro A. per B. & C. productus segmentum æquinoctiale repræsentabit. Huic segmento coniunge officio circini ab extra ex A centro unum circulum maiorem tantum distantem ab ipso segmento, quod inter eos signari possint diuisiones minutorum. Postea sub eodem centro produc tertium circulū maiorem secundo, & distet à sibi proximo ut inter ipsos possit scribi numerus minutorum de 10. in 10. uel de 20. in 20. Rursus iterum sub eodem, A centro extenso circino, describe quartum circulum maiorem omnibus alijs, ita ut in eum scribi possint gradus æquinoctialis. Tandem diuide segmento hoc æquatorum secundū quantitatē graduū laterum gnomonis in gradus, id est, quilibet gradus in hoc segmēto æquatorum sit tantę magnitudinis quantę sit quilibet gradus gnomonis. Deinde diuide etiā quilibet gradum in 60. minuta in scribendo etiam numeros eorū tam graduum q̄ minutorum. Quibus perfectis diuide lineam A B in 9. partes æquales, deinde quemlibet in 2. & cōtinet bit quilibet 5. partes siue gradus, qui sunt gradus parallelorum ab æquatore siue altitudo poli, poteris tamen primos duos nouenarios apud A literā abiūcere indiuisos, quia ultra 70. graduum pauca reperiuntur loca habitabília lineę etiā A B uersus latus gnomonis sinistrum aliam adiunge lineam tantum distantem, ut inter eos singuli gradus parallelū diuidi possint & distinguiri: deinde huic etiam lineę adiunge aliā pro numero graduū ab æquinoctiali inchoando de 5. in 5. ascendendo. Quibus etiā perfectis. Pone pedem unum circini in A punctū, reliquum uere in 5. gradū eleuatio nis poli ultra æquatorē, & protrahe reliquos eius parallelū siue circulum. Sic consimiliter cōprime circinum & protrahe reliquos omnes parallelos de 5. gradibus in 5 usq; ad 70. à linea A B in lineam C A C. Hos autem parallelos ita productos diuide de gradu per tabulam proportionum singulorum parallelū &c. supra positam, Isto ingenio primo intra tabulam sub 1. gradu differentiæ longitudinum in fronte tabule usq; ad quintū parallelū tabule & accipe ibidem numerū gra. o. m. 59. sec. 46 quæ numerabis in m. & secun. segmenti æquatorum ab B. nota, sup eum numerū lineale ponendo & reliquam partem supra A. centrum instrumenti notando interse ctionem linealis & parallelī 5. gra. & ibidem notam faciendo. Deinde accipe etiā ex eadem tabula sub eadem serie gradus 1. differentiæ longitudinū numerum graduum minutos